



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd media licet exigantur, non tame[n] sunt pars salutis nostrae, sed solus Christus est totus, & vnicus saluator, cui totum tribuitur: & solùm ipsius opera, & non nostra, vincunt peccatum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tij, desperatio de propria iustitia, sanctitate, & merito bonorum operum, & Fides in Christum, iuxta illud Marci 1. Pœnitementi, & credite Euangelio. Quicumque ergo cupit sibi participari huius efficaciam mortis Christi, is oportet habeat hæc media, fidem viuam quæ habet adiunctam pœnitentiã: pœnitentia includit negationem Idolorum & omnium vitiorum, & contemptum propriæ iustitiæ. Fides includit fructus Spiritus & omnia pia opera, quæ sequi debent necessariò, Gal. 5. Per hæc media vult Deus distribui merita mortis Christi. Et quoniam non omnes obediunt Euangelio, Roma. 10. neque pœnitent neque credunt in Christum, ideò fit, quòd efficaciam illius mortis Christi & sacrificij non omnes participant: satis & sufficiens est virtus passionis Christi, etiam pro mille mundis, quantum ad sufficientiam: efficaciam tamen non omnes accipiunt, eò quòd recusant contemnunt illa media. Et hoc etiam expressit Christus Mat. 26. Sanguis qui effunditur pro vobis & multis, quoad sufficientiam: sed quoad efficaciam, non omnes capiunt. In causa est, quia media cõtemnunt. Qui ergo non pœnitet, neque credit in Christum, tantum abest vt fiat particeps beneficij Christi, Ioan. 3. Qui credit, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, id est, condemnatus, illi nihil proderit mors Christi.

Media illa, id est, pœnitentia & Fides, licet exigantur maximè ad distributionem, non tamen sunt causa vel pars remissionis & salutis, Ita quòd simul meritum passionis & mortis Christi, & nostrum meritum, id est, pœnitentiæ & fidei, tollerent peccatum, & mererentur salutem: sed totum Christo tribuitur, & efficaciam mortis eius & suis operibus, Primò, quia opera nostra suã iam habent sententiam à Christo latam. Lucè XVII. Quando feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Si serui inutiles,

uiles,

tiles, ergo non sunt pars causæ iustificationis & salutis. Deindè, quòd conclusum est, quia Deus propter solum nomen Christi & propter ipsum ex misericordia nos vult sine merito nostro, id est, gratis iustificari & saluari. Act. 10. Huic omnes prophete &c. Et hoc ideò sic conclusum est à Deo, vt simus certi de remissione, Roman. 4. Promissio ideò ex fide, id est, propter fidem est, nempè salutis & remissionis, vt sit firma. Si enim penderet à nostra conditione operum iustificatio & salus, nunquam essemus certi, nunquã possemus satisfacere ad illa accipienda, ideò gratis donatur credenti. Et licet media illa non sint causa & fons iustificationis, compensatur tamen gloria æterna & gratia vel misericordia propter Christum, & ingentibus præmijs in hac & post hanc vitam, non propter suam dignitatem & efficaciam, sed propter Dei bonitatem & misericordiam propter Christum, qui sic coronat sua dona in nobis. Igitur ex promissione, quia iustificati iam per fidem illa faciunt, sic condecorantur: attamen non possunt dici pars meriti cum Christi merito. Iustificationis Christi mors & opus, ex natura & dignitate habet efficaciam meriti remissionis, & vitæ. Nostra opera ex imputatione & misericordia, quibus ex naturali bonitate nihil debetur, quia impura & imperfecta sunt, etiam in iustificationis: quare non possunt stare & concurrere propriè cū merito Christi, Solus ergo Christus, vnicus & solus & totus & integer est saluator: illi soli debetur honor, gloria, & actio gratiarum, & suis laboribus debentur omnia, nobis autem cōfusio, Daniel. 9. Quare opera & media si maximè exigantur, non sunt tamen vel causa, vel pars causæ. Verùm vnica mors Christi. Hæc doctrina quietat & humiliat conscientiam: quietat & firmat, quia audit quòd propter Christum donatur iustificatio & salus, & non propter nostra merita: ideò nemo debet desperare: Deindè humiliat,

mil
sim
de c
ria
pa
Chr
gra
but
& iu

1.

2.

3.



Deo p
porte
accep
rum
funt
men
mum
credi
fit do
Rom:

miliat, ne nimium præsumamus de nostra iustitia, ne similes fiamus Phariseo Luc. XVIII qui præsumebat de operibus suis. Vult enim Deus, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. i Opera nostra licet non sint pars meriti effectiuè ad salutem acquirendam cum Christi merito: sunt tamen pars, & exiguntur cum gratia ad distributionem accipiendam, & vt illa distributio retineatur. Nam sine pœnitentia & Fide salus & iustitia non distribuuntur.

CAPVT XXV.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit quod omnium primò in nobis apprehendit Christi merita, Fides an opera.*
2. *Quare Fides antè omne opus accipit talia Christi beneficia.*
3. *Quòd obseruantia præceptorum retinet beneficia Christi, & quòd Christi gratia facit vt obseruentur præcepta.*



POSTolus inquit, Heb. ii. Impossibile est Deo placere sine Fide: ex quo consequitur, quòd Fides oportet sit primum omnium in homine antè omne opus, eò quòd impossibile sit vt quis Deo placeat sine Fide. Accedentè igitur ad Deum oportet credere. Sequi autem debent fidem opera Deo accepta, non præcedere: quare & Gentium & Iudæorum opera reprobantur, quia sine Fide in Christum fiunt, etsi temporale accipiunt præmium, nihil tamen meriti habent in gloria. Est igitur Fides primum opus hominis, dum homo assentit verbo Dei, credit promissioni & obedit: Nam Fides quanuis sit donam Dei, attamen & nostrum assensum exigit. Roman. 10. Fides ex auditu. Primum ergo hominis
G opus.